UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Epistolæ obscvrorvm virorvm

cvm inlvstrantibvs adversariisqve scriptis

Textvs

Hutten, Ulrich von

Lipsiæ, 1864

28. Frater Conradus Dollenkopffius

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-976

Visual Library

homines non debent eis dare aliquid, in quocunque statu fuerint, sive alto sive basso, sive ecclesiastico sive mundano. Nuper fui Moguntię in actu illo quem celebraverunt magistri nostri contra Reuchlin: tunc est ibi quidam prędicator in summo qui est magister noster promotus in Heydel-
5 berga et vocatur Bartholomęus Zehender, latine Decimarius: ille publicavit in ambone quod homines deberent convenire ad sequentem diem et videre quomodo Speculum oculare comburetur: quia ipse putabat quod non esset possibile, quod doctor Reuchlin posset invenire unam fallaciam quod illud non fieret: tunc unus socius qui est ibi, et dicunt quod est poeta,
10 circumivit et seminavit pessimos sermones contra prędictum magistrum nostrum, et quando obviavit ei, tunc aspexit eum aspectu draconico et venenoso. Et dicit publice: 'Iste prędicator non est dignus quod debet sedere in mensa ubi sedent probi viri, quia possum probare quod est nequam et pultronus, quia in ambone in ecclesia vestra coram omni populo
15 mentitus est contra famam unius excellentis viri, et dixit illa quę non sunt facta'. Et prętenditur dici: 'ex invidia tribulant istum bonum doctorem'; et appellavit eum bestiam et canem; et dixit quod nullus phariseus unquam fuisset ita nequitiosus et invidus. et venit talis sermo ad prędictum magistrum, et ipse excusavit se sufficienter, ut mihi videtur, quia dixit quod
20 quamvis non combustus est ille liber, tamen fortassis comburetur in posterum. Et allegavit scripturam sacram in multis passibus, quod non est mendacium quando aliquis dicit aliquid pro fide catholica. Et dixit quod balivi et officiales Episcopi Moguntinensis impediverunt illum factum contra omnem equitatem. Sed homines deberent videre quid post hac contingeret.
25 quia ipse vellet esse propheta quod ille liber comburetur, etiam si imperator et rex Francię, et omnes principes et duces starent pro doctore Reuchlin. Talia volui vobis significare, ut essetis cavisatus. et rogo vos quod velitis esse diligens in negociis vestris, ne incurratis scandalum. et sic valete. Datum in Miltenpergk.

30

28.

Frater Conradus Dollenkopffius
Magistro Ortvino Gratio

Salutem et devotionem humillimam cum orationibus quottidianis apud dominum nostrum Iesum christum. Venerabilis vir, non habeatis molestiam
35 quod scribo vobis de negociis meis, cum vos bene habetis maiora pro agendo. sed dixistis mihi olim quod deberem vobis semper scribere quo-

---

8 doc. *1.2.* d. *3.* 12 putron9 *2.* 16 Et pretenditur dici ex] *malis* Et pretendit uel dixit 'ex *aut* pretenditur dixisse 'ex *etc.* 23 balini *1.3.* batini2. illū *1...3.* 32 M. *1...3.* 33 quotidianis *2.*

modo studerem et non deberem cessare in studendo, sed deberem procedere, quia haberem bonum ingenium, et possem cum adiutorio dei bene proficere, si met vellem. Ergo debetis scire quod ego pro nunc contuli me ad studium Heydelbergense et studeo in Theologia; sed cum hoc audio quotidie unam lectionem in poetria, in qua incepi proficere notabiliter de gratia dei; et iam scio mentetenus omnes fabulas Ovidii in metamorphoseos, et scio eas exponere quadrupliciter, scilicet naturaliter, litteraliter, historialiter, et spiritualiter: quod non sciunt isti poetę sęculares. et nuper interrogavi unum ex illis: 'unde dicitur Mavors?' tunc dixit mihi unam sententiam quę non fuit vera; sed etiam correxi eum, et dixi, quod Mavors dicitur quasi mares vorans; et ipse fuit confusus. Tunc dixi: 'quid significatur per novem Musas allegorice?' tunc etiam ignoravit et ego dixi quod .IX. Musę significant .VII. choros Angelorum. Tertio dixi: 'unde dicitur Mercurius?' sed quando non scivit, tunc dixi ei quod Mercurius dicitur quasi mercatorum curius, quia est deus mercatorum et habet curam pro eis. Ita videtis quod istę poetę nunc student tantum in sua arte litteraliter, et non intelligunt allegorias et expositiones spirituales, quia sunt homines carnales; et ut scribit Apostolus .I. ad Corinthios II.: 'Animalis homo non percipit ea quę sunt spiritus dei'. Sed possetis dicere: 'unde habetis istam subtilitatem?' Respondeo quod nuper acquisivi unum librum, quem scripsit quidam magister noster Anglicus de ordine nostro, et habet nomen Thomas de Walleys et compositus est ille liber super librum Metamorphoseos Ovidii, exponens omnes fabulas allegorice et spiritualiter. Et est ita profundus in Theologia quod non creditis. Certissimum est quod spiritussanctus infudit huic viro talem doctrinam. Quia scribit ibi concordantias inter sacram scripturam, et fabulas poetales; sicut potestis notare ex istis quę iam ponam. De Phitone serpente quem interfecit Apollo, scribit Psalmista: 'Draco iste quem formasti ad illudendum ei'. et iterum: 'Super aspidem et basiliscum ambulabis'. De Saturno qui supponitur homo senex, et pater deorum comedens filios suos, scribitur ab Ezechiele: 'Comedent patres filios in medio tui'. Diana significat beatissimam virginem Mariam, ambulans cum multis virginibus hincinde. et ergo de ea scribitur in Psalmis: 'Adducentur virgines post eam'. et alibi: 'Trahe me post te; curremus in odore ungentorum tuorum'. Item de Iove quando defloravit Calistonem virginem, et reversus est ad cęlum scribitur Matth. XII.: 'Revertar in domum meam, unde exivi'. Item de Aglauro pedissequa, quam Mercurius vertit in lapidem: illa lapidificatio tangitur Iob. XLII.: 'Cor eius indurabitur ut lapis'. Item quomodo Iuppiter supposuit Europam virginem, etiam habetur in sacra scriptura, quod ego ignoravi prius, quia sic dixit

---

11 dixit *1...3.* 16 ifte *hoc quoque loco habent 1...3.* 18 fcripit *3.* 26 . Sicut *1...3.* 28 . Et *1...3.* 32 . Et *1...3.* ps. *1. 3.* Pfal. *2.* 35 Mat. *1. 3.*

ad eam: 'Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, quia concupivit rex speciem tuam'. Item Cadmus quęrens sororem suam, gerit personam Christi, qui quęrit suam sororem, id est animam humanam: et ędificat civitatem, id est ecclesiam. De Actęone vero qui vidit Dianam nudam, 5 prophetizavit Ezechiel cap. XVI. dicens: 'Eras nuda et confusione plena, et transivi per te et vidi te'. Et non est frustra a poetis scriptum quod Bacchus est bis genitus, quia per hoc significatur Christus qui etiam est bis genitus, uno modo ante sęcula, et alia vice humaniter et carnaliter. et Semele quę nutrit Bacchum, significat beatam virginem, cui dicitur 10 Exodi II.: 'Accipe puerum istum et nutri mihi, et ego dabo tibi mercedem tuam'. Item fabula de Piramo et Thisbe sic exponitur allegorice et spiritualiter: Piramus significat filium dei, et Thisbe significat animam humanam quam amat Christus, et de qua scribitur in evangelio: 'Tuam ipsius animam pertransibit gladius': Lucę .II. Sic Thisbe interfecit se gladio amasii 15 sui. Item de Vulcano qui eiicitur de cęlo, et efficitur claudus, scribitur in Psalmis: 'Expulsi sunt nec potuerunt stare'. Hęc et talia multa didici ex illo libro. Vos videretis mirabilia si essetis mecum. Et ista est via qua debemus studere in poetria. Sed parcatis mihi quod prętendo quasi docere vestram dominationem, quia vos scitis melius quam ego, sed feci 20 in bona opinione. Ego disposui hic, aliquis in Tubinga debet me certificare quicquid agit doctor Reuchlin, ita quod possum vos cavisare. Sed iam nihil scio, alias vellem vobis notificare. Sed iam valete in charitate non ficta. Datum Heidelbergę.

29.

25 Magister Tilmannus Lumplin
salutem dicit
Magistro Ortvino Gratio.

'Stultissimus sum virorum, et sapientia non est mecum; non didici sapientiam, et non novi scientiam sanctorum'. Proverbiorum XXX. Ergo 30 non debetis me spernere quod prętendo vobis dare consilium in factis vestris, quia facio talia bono animo. Et volo cavisare vos secundum quod ego intelligo, et modicum volo corrigere vos, quia vexatio dat intellectum. Et scriptum est in Ecclesiastico cap. XIII.: 'Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea'. Sic etiam fit vobis, quia vultis habere quod sum amicus

---

11 tifbe *3.* 12 Tifbe *3.* 16 pſ. *1...3.* 18 in *omis. 3.* 20 quod *ante* aliquis *consulto omitti puto.* aliqius *2.* 22 Heydelberge *3.*
25 M. *1...3.* 26 S.D. *1...3.* 27 M. *1...3.* G. *1.* Gra. *2.* Gratio *3.* 34 Sicut *2.*